





1. Huber J. S. de diff. de fine ac quem
homo conditus, Wittenb. 1593

2. ———— de conjugio et
divortio, Wittenb. 1593.

3. Hülfemann J. Joh. S. Instructio Stu-
dioforum, quid de phrasibus bona
opera sunt necessaria ad vitam
aeternam, statuere habeant
Lipsiae 1616.

4. ———— repetitio Articuli
10 libri concordio, Lipsiae
1649

Propositiones Theologicæ
R E P E T E N T E S
ET CONFIRMANTES ORTHO-
 doxam doctrinam responsionum, quæ à D. PHILIPPO MELANTHONE scriptæ sunt ad IIII. V.
 & VI. Articulum Bavaricæ inquisitionis, de *Hanc responsionem Phil.*
 quibus in celeberrima Academia *vide in Corpore doctrinae Philippi*
 VVitebergensi *Fol. 893.*

P R A E S I D E

Henrico Maio Sangerhusano D.

PRO LICENTIA ACCIPIENDI
 Gradum Doctorum in Theologia publica disputatione, hora
 & loco consuetis, die XXII. Ianuarij.

R E S P O N D E B U N T

- M. Petrus Streuberus Soldinus, Ecclesia Soranae Pastor.*
- M. Paulus Auleander Nissenus.*
- M. VVolfgangus Franzius Plauensis.*



V V I T E B E R G Æ

Matthæus UVelack excudebat.

M. D. XCI.



Propositiones Theologicae
R. E. P. E. L. E. N. T. E. S.
ETICOMETERIAWALDES ORATIONE
donum hoc in responsionem, per R. P.
L. P. O. N. T. A. N. T. O. N. A. scripta in die III. V.
& V. articulum Bavaricae Propositionis de
quibus in celeberrima Academia
Vindobonensi
P. R. A. E. S. I. D. A.

Henrico Misio Sanguetiano D.
PRO LICENTIA A G. C. I. P. I. N. D. I.
Gradui Doctorum Theologiae publicae huius
Scolae cooptatus, die XXI. Januarii.
A. R. S. R. O. M. A. E. R. V. T.

Mr. Petrus Strubenerus Solinus, Ecclesiae Sora-
nae Pastor.
Mr. Petrus Strubenerus S. J. S. S. S. S.
Mr. Wolffgangus Franckenius Francken-
burgensis.
V. V. I. T. H. E. R. I. C. U. S.
C. A. M. E. R. I. C. U. S. U. S. S. E. N. S. I. S.
M. D. C. C. I.



IIII.

ARTICVLVS.

An credant firmiter & sine dubi-
tatione, & doceant, quod Sancta Romana &
Catholica Ecclesia mandat credi,
& præcipit?

Ad quem respondebit M. P. P. P. P. P.
STREVBERS.

I.

No sunt hominum genera, qui audientes & cre-
dentes DEVM ex genere humano, voce mini-
sterij, sibi Ecclesiam colligere, à qua rectè agno-
scatur, invocetur & colatur, & extra quam, non
sit salus neq; vita æterna, aliquam de ea cogitationem suscipi-
unt.

II.

Vnum piorum est, alterum hypocritarum.

III.

Pij, quorum corda regenerantur per Evangelium & Spi-
ritum sanctum, gratias DEO, pro hoc ingenti beneficio, agunt
immortales, agnitæq; ejus misericordia & bonitate, per Filium
Mediatorem promissa, maxime sibi curæ esse debere existi-
mant, ut sint & maneant vera membra ejus cœtus: juxta il-
lud Davidis: Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut ha-
bitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam
voluptatem Domini, & visitem templum ejus. Psal. 27. v. 4.
Et, Elegi abjectus esse in domo DEI mei, magis quàm habi-
tare in tabernaculis impiorum, Psal. 84. v. 11.

A 2

Hypo.

IIII.

Hypocritæ verò, se vel ἐξ αἱμάτων vel ἐκ δελμάτων ὁσῶν
 ἡδὲ, vel ἐκ δελμάτων ἁνδρῶν, filios Dei, hoc est, vera Ecclesie
 membra fieri existimant: Nec voce DEI & scripturæ te-
 stimonys regi, & ad verbum divinitus patefactum, se alliga-
 ri volunt, sed eo neglecto sibi idola sculpunt, & cultus fini-
 gunt sine verbo DEI: suasq; opiniones & traditiones non
 tantum pluris faciunt quàm verbum DEI, sed etiam acere-
 bissimo odio prosequuntur eos, qui diversum senserint.

V.

Hinc inde vsq; ab Abelo semper dimicatum fuit acere-
 rimè de Ecclesia, & certa norma doctrinæ cultuum & mo-
 rum: quod bellum longè atrocissimum in hac delira senecta
 mundi, propter tyrannidem & idolatriam impietatemq; Pon-
 tificiorum, recruduit.

VI.

Quærent enim belli isti Hierophontæ, ut patet ex impio
 quarto articulo Bavaricæ inquisitionis. An (quorum fides
 ipsis suspecta est, & quibus propter Evangelicæ veritatis a-
 gnitionem & confessionem periculum aliquod attrahere cu-
 piunt) credant firmiter & sine dubitatione, & doceant, quòd
 Sancta Romana & Catholica Ecclesia mandat credi & præ-
 cipit.

VII.

Ad hanc quæstionem, ut καὶ ὁδὸν & perspicuè respon-
 deatur, necessarium esse videtur, primum, paulò diligentius
 rationem nominis Catholicæ Ecclesie & Catholicorum inqui-
 rere: Deinde per ἀνάλωσις quæstionem istam resolvere, ut in-
 sidys, quas & ἡερέτας & impij Concily Tridentini am-
 phyctio-

phylaxiones, veritati struunt, detectis, multiplex fidei & praeceptorum rituum humanorum confusio vitetur, & quid inter ea discriminis ob priorum oculos ponatur.

VIII.

Appellatione nominis *καθολικόν*, idem significare quod universale, notissimum est. Ejus vero usum & significationem, quando de Ecclesia dicitur, quadruplicem esse animadvertimus.

IX.

PRIMO, Catholicae Ecclesiae nomen saepe ad omnes omnium temporum DEI electos transfertur, sive sub veteri, sive sub novo Testamento vixerunt: Et in quorum numero sunt, non tantum qui nunc vivunt electi, aut deinceps visituri sunt in terris usque ad finem mundi: Sed etiam qui in Domino obdormiverunt & jam in caelis agunt, fruentes solatio Luc. 16. v. 25. & latissimum ac gloriosum diem finalis liberationis Ecclesiae, suaeque carnis ad vitam aeternam resurrectionem expectantes. Hac ratione Abel, Noë, Abraham, Moses, David & similes non minus sunt membra Catholicae Ecclesiae, ac Petrus, Paulus, Iohannes & alij pii, qui post Christum exhibitum vixerunt, vel adhuc vivunt, & doctrinam Evangelij de Christo Mediatore fuerunt amplexi. Nam unum sunt cum Christo corpus, cujus membra multa sunt, & per unum Spiritum ipsi & intra sese conglutinata.

X.

DEINDE, peculiari quodam modo usurpatur de Ecclesia novi Testamenti, quae voce Evangelij ex genere humano, post Christi ad caelos ascensionem, est collecta, & complectitur.

universalem gentium vocationem, toties à Prophetis prædicitur.
Etiam, quando in suis concionibus regni Messiae amplitudinem
describunt, & illud ab alijs politijs seu imperijs mundanis dis-
cernunt.

XI.

Hanc, ipsa appellatio ab Ecclesia veteris Testamenti di-
stinguit. Nam hæc in politia Iudaica, pertinente ad Israëlitas,
certo loco spacioq; angustissimo erat conclusa, & ad templum
Hierosolymitanum quasi affixa, quo, vsq; ad natum Messiam,
omnes ter singulis annis convenire oportebat: Levit. 23. v.
2. & Deut. 16. v. 2. Illa verò post Christum exhibitum, non
est vel loco certo, vel certæ formæ politie alligata, neq; tantum
posteris Abrahæ, aut unius Iacobi familiam: sed Iudæos &
Gentes, cujuscunq; rationis aut regionis sub Sole, simul com-
prehendit.

XII.

Ideo enim Apostoli à Christo Domino in universum ter-
rarum orbem fuerunt ablegati, ut prædicarent in nomine ipsi-
us resipiscentiam & remiss. peccatorum apud omnes gentes,
incipiendo ab Hierusalem, Luc. 24. v. 47. juxta Vaticinia
prophetarum, Davidis, Psal. 50. v. 2. & Psal. 110. v. 2.
Itē Esa. 2. v. 3. & Mich. 4. v. 2. Et Paulus gentium doctor,
1. Timoth. 2. v. 7. Et 2. Tim. 1. v. 11. ait: per Christum qui est
pax nostra, utraq; factum esse unum, intergerini parietis septo,
quod inter Iudæos & gentes erat, soluto. Ephes. 2. v. 14.

XIII.

Ac consentaneum est, Apostolos gravi consilio nomen
Ecclesie Catholice, symbolo adscripsisse. Nam id ad Iudæo-
rum prærogativam contundendam & ad gentium vocatio-
nem asserendam, & ad prædictionum Propheticarum de o-
mnibus

in omnibus nationibus juxta promissionem, in unum populum in Christo cooptandis, veritatem contestandam, mirificè facere videtur: quòd caput controversiæ, veterem in primis Ecclesiam temporibus Apostolorum plurimum exercuit.

XIII.

TERTIO: Impropiè & quidem κατ' ἐξοχὴν veteres quandoq; particulares Ecclesias appellarunt Catholicas: idq; non ἀπλῶς promiscuè, sed tantum κατὰ τὴν, quatenus contra Hereticorum detestandas depravationes, fundamentum fideliter retinuerunt & custodierunt. Unde Orthodoxæ fuerunt appellatæ. Nam Catholica appellationem, singulari alicui Ecclesie quantumvis puræ tribuere, nimis insolens est atque ἀκρίτως: cum singulæ Ecclesie tantum partes sint unius illius Catholice, quæ in novo Testamento per totum terrarum orbem est dispersa, & nulli loco certo alligata.

XV.

Hinc nomen Catholice Ecclesie oppositum fuit primùm Hereticis, qui ab una illa fide & vera doctrina Catholica, in scriptis Prophetarum & Apostolorum comprehensa, discedebant, suumq; errorem pertinaciter defendebant: quales erant Ariani, Macedoniani seu πνευματομάχοι, Nestoriani, Euty-chiani, & similes. Deinde Schismaticis, quales fuerunt Novatiani, Donatistæ, & id genus alij, qui magna temeritate, reliquis cæteribus exclusis, Ecclesiam totam, suis tantum conspectibus circumscribebant.

XVI.

QUARTO: Patres nomine Catholice Ecclesie usus reperimus, quando ipsis sermo fuit de particularibus Ecclesiis, quibus Catholica constat, & quas omnes Catholica suo quasi ambitu

ambitu continet, quibuscumq; tandem orbis partibus sint colle-
ctæ, sive Oriëntales sive Occidentales, sive Græca sive Latina,
sive Romana sive Corinthiaca, sive Cretensis sive Carthagi-
nensis &c. dicatur. Vnius enim illius Catholicæ seu univer-
salis sunt quasi partes, sicut & omnes simul, velut unicum
corpus constituunt.

XVII.

Nulla autem prorsus ratione, Romanæ Ecclesiæ, qualis
nunc est, Catholicæ appellatio competit. Nam etsi Ecclesiæ
nomen ei relinquantur quantumvis impuræ, propter externam
nominis Christiani professionem: de quo tamen postea nobis
videndum erit: tamen cum singularis sit, non autem tota seu
universa Ecclesiæ, non minus ineptè Catholicam dixeris, quàm
si Parrhisios universum regnum Gallicum: aut mare Bri-
tannicum vel Tyrrhenum (quod mediterranei tantummodò
pars est) unum & idem cum Oceano: aut unum in aliquo cœ-
tu, universum catum, aut pedem vel brachium totum corpus
appellaveris.

XVII.

Cumq; Heretici sint, qui vel unicum, vel etiam plura fi-
dei Christianæ capita sic oppugnant, ut errores suos cum fun-
damento pugnantem pertinaciter tueantur: Schismaticum
verò cum, ut Canones loquuntur, non separatio sed causa fa-
ciat, atque ideo Schismatici rectè possint nominari etiam illi,
qui depravationibus suis legitimam discessionis occasionem
alijs dederunt: hac ipsa etiam in significatione vocabuli, sal-
tissimè sibi Catholicæ Ecclesiæ nomen arrogant Pontificij.
Nam propter errores multiplices & manifestos, plane ever-
tentes fundamentum veræ & Catholicæ fidei, quos furiosè tu-
entur,

entur, ἀγῆτι κώτατοι sunt: omnium verò maxime schismatici
etiam sunt, propterea quòd ambitione & avaritia excæcati,
Seditiam plus quàm Neronianam erga alias Ecclesias rectè
sentientes exerceant: sicut infra ea de re pluribus agetur.

XIX.

Quod cum ita sit, ut quidem luce meridiana clarius esse
constat, detestandam esse judicamus Pontificiorum tum ar-
rogantiam, tum impudentiam, quòd eam cum suo capite ve-
ram, sanctam, unicam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam
constituere ausint: cui fideles per universum terrarum orbem
absq; contradictione credere & obedire debeant.

XX.

Nam id neque de veteri & ubiq; celebrata illa sancta
Ecclesia Romana, si adhuc hodie extaret, dicere licet, cum
tantum sit membrum Ecclesie universalis sub uno capite
Christo. Ideoq; exemplum tantum esset puritatis doctrine &
cultuum, non regula neq; norma fidei. Ejus etiam ministri
non potiores essent aliarum Ecclesiarum ministris: de quibus
Petrus ait: pascite DEI gregem qui penes vos est, curam il-
lius agentes non coactè sed libenter, non turpiter affectantes
lucrum, sed prompto animo, neq; ut dominantes Cleris, sed ut
qui sitis exemplaria gregis. 1. Pet. 5. v. 2.

XXI.

Hæc inter se conferentes, & de illis attentè cogitantes,
statim deprehendunt insidias, quas ^{ἐξέτασαι} isti de industria
simplici veritati struunt, confundendo Romanam & Catholi-
cam Ecclesiam. Etsi enim restrictionem addere videntur, dum
quærent, an credant & doceant, quòd Sancta Romana Ec-
clesia credit & præcipit: tamen intelligunt agmen Pontifi-
cium,

ei^{us}, penes quod sit unum Vasti custodia mundi, & suprema
totius orbis terrarum Monarchia, & potestas ^{ἐπιπέδου} & con-
dendi fidei articulos, ac constituendi novos cultus & leges quas
velit, & à quo, de mandato Christi, cui pater omnia subjecerit,
imperatorem & reges omnes, potestatem & jus tenendi regna.
accipere oporteat.

XXII.

Tantam auctoritatem, quam Pontificij in alios Episco-
pos & Ecclesias, non solum jure divino se habere vanissime
nugantur: sed etiam de necessitate salutis esse credendam, im-
pudentissime contendunt, Christum Dominum neque Petro,
neq; per Petrum successoribus ejus concessisse, constanter asse-
runt.

XXIII.

Et quia Ecclesia Romana, annos sexcentos, illa præemi-
nentia & potestate in alias Ecclesias caruit, (Nam ante Pho-
cam illam non habuit) nec eam Orthodoxæ Ecclesiæ in illa un-
quam agnoverunt, sed intrepidè ambiciosi Episcoporum Ro-
manorum conatibus & studiis restiterunt, ideo ne nunc qui-
dem nos Romanam Ecclesiam universi orbis Ecclesiam &
caput agnoscimus, nec ejus decreta, ut universalis Ecclesiæ
decreta recipimus.

XXIII.

Quàm multa etiam Romana Ecclesia opinionum por-
tenta & tetra Idola introduxerit, & magna tyrannide stabili-
verit, testantur non tantum manifestæ prophanationes Cœ-
næ Dominicæ: quales sunt ^{ἄτροδαρτεία}, hoc est panis conse-
cratio, in pompa Theatrica adoratio, missæ privatae, eorumq;
nundinationes variæ pro vivis & mortuis, ad quæstum ac-
commodatissimæ, & execrandum sacrilegium, calicis usus
maximæ.

maximæ parti generis humani negato: Verùm etiam impiæ
leges de cœlibatu & ciborum discrimine, quas Paulus vocat
διακονίας σαρκὸς καὶ σαυμάτων 1. Timoth. 4. invocatio mortuorum
prorsus Ethnica, cultus statuarũ, ritus monastici, et similes nœ-
nia, quas in immensũ Romanæ Ecclesiæ superstitione cumula vit.

XXV.

Talium monstrorum aliqua, omninò vetustioribus Græ-
corum Ecclesijs fuerunt ignota: aliqua verò ne nunc quidẽ ab
ipsis approbantur, etsi vident quorundam imprudentiã poste-
rioribus multorũ perniciosorum errorum occasionem dedisse.

XXVI.

Nequaquã igitur ònia credenda, probanda & docenda sunt,
quæ Romana Ecclesia, h. e. agmen Pontificium, odio doctrinæ
Evangelicæ ardens, credit, probat & docet. Plurima enim
habet quæ ex diametro cum fundamento doctrinæ Christianæ
divinitus traditæ, & Orthodoxæ seu Catholicæ Ecclesiæ con-
sensu pugnant, & vel manifestam idolatriam, vel supersti-
tionem confirmant.

XXVII.

His insidijs, quæ sub titulo Romanæ Ecclesiæ latent, de-
tectis, diligenter porrò cavendum est, ne confusio fidei & præ-
ceptorum de ritibus humanis, quæ ὑπερλόπτι habet, & quam
adversarij astutè tegunt, simplicioribus alium laqueum injiciat
& imponat.

XXVIII.

Aliud enim est loqui de Fide: aliud de præceptis rituum, qui
humana autoritate sunt instituti, & quorũ magna est varietas.

XXIX.

Fides complectitur sapientiam veræ Ecclesiæ propriã de
omnibus articulis doctrinæ Christianæ, per Filium Dei ex im-

mensa misericordia & bonitate prolatam, & scriptis Prophe-
tarum & Apostolorum comprehensam, ut sit norma cultuum
& morum, & per quam ex genere humana DEO colligatur
eterna Ecclesia, Deum agnoscens & celebrans, & quae per
& propter nomen Filij Mediatoris habeat vitam eternam.

XXX.

Haec breuiter quidem, attamen perspicue repetita est
in Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano: quibus o-
mni ex parte consentiens est doctrina nostrarum Ecclesiarum,
quae extat in Confessione anno 1530 Augustae Vindelicorum
Carolo V. exhibita, & magis magisque in publicis imperij colo-
loquijs, & alijs principum Germaniae conventibus, a sordibus
pontificiae Idolatriae & superstitionis purgata & declarata
est: quam etiam totius Ecclesiae Catholicae vocem esse, indu-
bitanter pronunciamus.

XXXI.

In ea adhuc Dei beneficio stamus, Deumque verum in vo-
camus, & ijs, quos ipse praecipit cultibus, eum colimus, nosque
salvos fore, & in universali mortuorum resurrectione, glorio-
so fidelium coetu aggregatos, in aeternum, Deum & filium
ejus Iesum Christum redemptorem nostrum, visuros esse, pla-
ne confidimus.

XXXII.

Interea toto abhorremus pectore ab omnibus fanaticis o-
pinionibus, quae pugnant cum Symbolis, & politicum ordinem
evertunt: quales sunt opiniones Monachorum & Anabaptis-
tarum.

XXXIII.

Fidem etiam nostram, non humana autoritate, aut man-
datis Ecclesiae, sed perspicuo verbo DEI debere niti, (tametsi
Ecclesiam Catholicam docentem pie audimus) & sincere ve-
rustatis

tustatis testimonijs confirmari affirmamus: juxta illud Pauli,
qui vult infirmos à firmioribus confirmari, Rom. 14. v. 1.

XXXIII.

Nullius enim hominis tanta est autoritas, ut sine grandi
sacrilegio & contumelia nominis divini, ullam illius partem
possit mutare, ne dum suis insulsis opinionibus obruere, &
tandem prorsus abolere ausit.

XXXV.

Præcepta verò de ritibus seu traditionibus humanis sunt
canones Ecclesie, & in his potissimum decreta Pontificum &
Episcoporum, de quibusdam pietatis, ut dicebant, exercitijs,
& operibus in vita publica & privata.

XXXVI.

Horum magna est varietas. Alia enim jubent coli Idola,
& invocari mortuos & statuas. Alia præcipiunt onera, quæ
sine peccato sustineri non possunt: ut lex de impuro cœlibatu,
quæ ingentium miseriarum causa fuit ijs, qui huic vitæ generi
parum se idoneos esse sentiebant. Alia loquuntur de rebus,
quarum usus medius est, h. e. quæ voce DEI neq. præceptæ
neq. prohibitæ sunt: ut sunt, vesci carnibus, uti veste commu-
ni, aut veste monastica.

XXXVII.

Etsi autem priores duos gradus, propter manifestam
impietatem & tyrannidem, aliq. incommoda gravissima,
reijcimus: tamen ne tertium quidem simpliciter reci-
pimus, cum habeat admixtos errores perniciosissimos, de me-
rito, cultu & necessitate: quia scriptum est: Fugite Idola, 1.
Cor. 10. v. 14. Et, precio redempti estis, nolite fieri servi homi-
num, 1. Cor. 7. v. 23.

B 3

Nec

XXXVIII.

Nec opus est in hoc quæri ~~etiam~~ seu moderationem quandam, sicut Gerson fecit, qui, quod ingentem acervum istorum rituum seu traditionum, tristissimam in hominibus modestis conscientiarum carnificinam esse animadverteret, alias traditiones ornatus, alias verò necessitatis causa institutas esse scriptum reliquit.

XXXIX.

Nam vox divina Ecclesiam suam alligavit ad legem & ad testimonium, Esa. 8. v. 20. seu, quod idem est, ad doctrinam Filij DEI, Matth. 17. v. 5. Episcopis verò hanc potestatem ferendarum legum de quibusdam ritibus, prorsus adimit in-
quiens: In præceptis meis ambulate: & in præceptis patrum vestrorum nolite incedere, Ezech. 20. v. 19.

XL.

Ac certum est hanc libertatem in Evangelio esse sancitam, ne ulla præcepta rituum seu traditionum humanarum recipiantur cum opinione meriti, cultus, & necessitatis.

XLI.

Eos verò ritus, qui vel tranquillitatis vel disciplinae vel boni ordinis causa humana autoritate instituti sunt, & sine peccato, quo conscientia coram DEO fiat rea, observari, & extra scandalum quoque, cum natura sua sint in differentes, mutari aut prorsus omitti possunt, Ecclesie nostrae retinent, ijsq; locum aliquem concedunt, sed ut absit superstitio, & alij errores pugnantes cum verbo DEI, & Ecclesie sua relinquatur libertas.

XLII.

Nam natura rationalis intelligit ordinem, & scit causas,
propter

propter quas ordo congruens cum aliarum Ecclesiarum exemplo, sit amandus.

XLIII.

ἁγία etiam illa, quam Paulus requirit, inquiens: πάντα εὐχρημόως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. I. Cor. 14. in Ecclesia esse debet, eorumque petulantiam, qui, ut Cynesias Athenis contraria festa publicis celebrare solitus est, cum scandalo infirmiorum illam turbant, se verè coercendam esse judicamus.

XLIII.

Nam in talibus traditionibus honestis & utilibus, ministris obedientiam deberi concedimus, dum videlicet non sine gravi causa ab eis discedatur.

XLV.

Semper igitur vericultus quos DEVS instituit, discernendi sunt à traditionibus humanis, & retinendum discrimen, inter Ceremonias quæ sunt juris divini, & inter ritus, si ve antiquissimis temporibus ab Apostolis aut eorum discipulis traditos, si ve multis seculis post ab Episcopis introductos, qui sunt humani juris.

XLVI.

In illis non licet Ecclesiæ mutare vel formam vel materiam, ut in scholis loquuntur: Sed in his pro ratione temporum suam Ecclesia habet libertatem, quædam vel mutandi vel omittendi: sicut suo loco aliquando hac de re pluribus dicetur.

Articulus

Articulus V.

Ad quem respondebit M. PAVLVS
AVLEANDER.

XLVII.

Sed de responsione ad quartum Bavarica inquisitionis articulum haecenus: sequitur ut de quinto etiam videamus.

XLVIII.

Queritur: An credant extra illam Ecclesiam, nec salutem nec remissionem peccatorum esse; Et quod omnes qui se sci- entes & volentes ab ea sejungunt, sint damnandi, ut haeretici & schismatici.

XLIX.

Hic imprimis admonendi sunt pii, ut iterum sibi diligenter caveant à tetra Ecclesia Christi, & synagoga Pontificia confusio- ne, quam adversarij doctrina Evangelica perpetuo faciunt, impe- rioribus ed facilius ut imponant.

L.

Putant enim omnes salvandos oportere esse coniunctos Ro- mane Ecclesiae, quam Catholicam nimis impudenter vocant, eamq; ad Pontificem, tanquam ad supremum caput, & ordinari- am Episcoporum successionem alligatam esse fingunt: quam eti- am errare posse negant, & à cuius decretis nemini piorum licere discedere vehementer contendunt.

LI.

Hanc vniuerso, ut antea dictum est, cum ipsis non conceda- mus, negandum etiam omnino statuimus, quod extra illam, quam Pontificij imaginantur Ecclesiam, & cuius titulum & dignita- tem suo tantum satellitio ascribunt, non sit salus, neq; remissio pec- catorum, h. e. quod non alibi sint quarendi salvandi, & heredes ad vitam eternam electi, nisi in ipsorum caetibus.

Tam

LII.

Tam enim non sunt vera & Catholica Dei Ecclesia, quam non erant, testimonio et iudicio Christi, Pontifices, Pharisei, & Sadducai, in populo Iudaico, etiamsi sibi hunc titulum vendicabant & in Ecclesia dominabantur, suam subinde ordinariam successionem iactantes.

LIII.

Cause huius in Pontificios à nobis prolatae sententiae, quia alibi expositae sunt, non necesse esse iudicamus hoc in loco ut denuò repetantur, ne sicut imperiti Cytharædi chorda oberrare videamur semper eadem, & lectori fastidium aliquod moueamus.

LIII.

Quemadmodum autem Zacharias, Simeon, Anna prophetissa, Elizabeth, Ioseph, Maria, & eorum auditores, iug. numero paucissimi, si ad cæteram multitudinem conferantur, verè erant Catholica, hoc est, orthodoxa Ecclesia, quia doctrinam Prophetarum in ipsius genuino sensu fideliter retinebant, & cõtra Phariseorum & Sadducæorum corruptelas & errores, à quibus dissentiebant, constanter tuebantur: ita nostras Ecclesias verissimè esse veram DEI Ecclesiam, distinctam à cæteris idolatricis & blasphemis, & in ea salutem & remissionem peccatorum credentibus dari, indubiatò credimus & gloriamur.

LV.

Nam doctrinam Propheticam & Apostolicam in ipsius vero intellectu quoque retinent, quam sciunt esse ipsissimam vocem Filij DEI, colligentis sibi per eam ex genere humano Ecclesiam dato Spiritu Sancto, qui per illam semper efficax fuit & etiam nunc est, sanctificans omnium temporum electos fide in ipsorum cordibus, et nova luce iustitiae et vitae accensa, eosq. sub vno capite Christo consocians Ephes. v. 9. & c. etiamsi huius doctrinae patefactiones & propagationes fuerunt diversae & Ecclesia interdum plus minusve luce habuit.

LVI.

Retinet etiam legitimum usum sacramentorum & obedientiam ministerio debitam iuxta Evangelium. C Hæc

L VII.

Hæc enim sunt signa Ecclesiam Dei in his terris monstrantia, adeo ut in quacumq; hominum congregatione illa apparuerint, eam sane veram Dei Ecclesiam nominandã. Et quanto illa seruantur priora, tanto verius eam Dei Ecclesiam esse appellandam, quanto vero minus, tanto magis quog; illa à perfectione Ecclesie Dei declinare & discedere existimemus.

L VIII.

Quare summam nobis Pontificij oratores faciunt iniuriam, contendentes, nos, qui à Romano Pontifice eiusq; regno impio & idolatrico discessionem fecimus, unitatem Ecclesie catholice soluisse, & atrocium criminum schismatos & hereseos esse reos factos, & propterea damnandos.

L IX.

Fœdissimò enim hallucinantur, quòd veram Ecclesie catholice unitatem, non in perpetuo consensu Fundamenti h. e. approbatione integri corporis doctrinae, seu articulorum fidei, aliorumq; mandatorum divinorum agnitione, sed in obedientia illa impia & superstitiosa, qua Pontifici tanquam summo Monarche seu capiti iuxta ipsius leges præstanda est, consistere imaginantur.

L X.

Nos vero non ab Ecclesia catholica, verbum Dei incorruptum & symbola amplectente, defecisse, sed synagogam malignantium & idololatrarum, veram Ecclesiam persequentium, reliquisse fatemur.

L XI.

Huius secessionis causa sunt, non levitas, nec aliqua cupiditas, vel potentia Episcoporum obtredandi, & pacem publicam turbandi studium: sed mandata divina. Non habebis Deos alienos coram me. Exod. 20. v. 3. Et, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exo. 20. v. 7. Cavete à Pseudoprophetis, Matth. 7. v. 15. Fugite ab idololatria, 1. Cor. 10. v. 14. Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit, Gal. 1. v. 8. & 9. Qui non adfert hanc doctrinam, ne recipite eum in domum, nec salutem ei dicite.

2. Ioh.

2. Ioh. 1. v. 9. Speculamini in disfidiorum & scandalorum auro-
res prater doctrinam, quam vos didicistis, & declinate ab eis.
Rom. 6. v. 17. Ne commisceamini cum ijs, qui se fratres nomi-
nant, & sunt vel scortatores, vel idololatra. 1. Cor. 5. v. 11. Ne im-
pari iugo cum infidelibus copulemini, 2. Cor. 6. v. 14. et v. 17.
Exite e medio eorum & separamini, dicit Dominus, Esa. 52. v. 11.

LXII.

Nam hac dicta sunt immota regula, & uniuersaliter ob-
ligant omnes homines, ac de voluntate Dei nos erudiunt, nec ul-
lam vel dispensationem, vel exceptionem admittunt. Ideoq; ipsis
necessario fuit obtemperandum.

LXIII.

Postea accesserunt etiam alie cause, non minus graves, qui-
bus nostri maiores a Romana Ecclesia separationem facere coacti
sunt, ut inexplebilis Episcoporum, Monachorum, & similiarum aula
Pontificie gnathorum, sub Religionis pretextu, auaritia, detestan-
da ambitio, tyrannis, uita eorum Sodomitica, & alia multa scele-
ra, quorum mentione non potest non animus pius cohorrescere.

LXIIII.

Non enim diutius extremam illam & impiam Romanista-
rum seruitutem sustinere poterant, nec luce Euangelij accensa,
tantorum idolorum, & parricidiorum, quibus sese polluant, qui
se catholicos esse profitentur, dum ob coniugij usum & traditiones
humanas, innocentissimos homines crudelissime interficiunt, ul-
terius socij esse volebant, ne aliorum peccatis participantes, ex
eorum plagis etiam accipiant, Apoc. 18. v. 4.

LXV.

Regulam hanc, Licere ab ordinaria potestate & Ecclesia gu-
bernatoribus, quando tradunt impiam doctrinam, & idola aeo-
fendant, ac pro eorum propagatione seruitiam erga recte sentien-
tes exercent, discedere, & illis aduersari, falsaq; dogmata res-
sutare, propoitis & assertis ueris sententijs, ut agnamus ample-
ctimur & defendimus.

LXVI.

In ijs verò de quibus inter nos & Pontificios adhuc contro-
vertitur, semper ad Ecclesiam, & alios pios, qui non sunt fascina-
ti falsis opinionibus & rem intelligunt, ex animo & non simulate
provocamus, eorumq; iudicijs, verbo Dei confirmatis, nos subijci-
mus.

LXVII.

Et tantisper donec aliquis non defugit Ecclesie iudicium, non
posse eum appellari hostem aut schismaticum aut hereticum: ex
Christo Magistro nostro unico didicimus: Si Ecclesiam non audierit,
sit tibi velut Ethnicus & Publicanus Matth. 18. v. 17.

LXVIII.

Porrò quod adversarij nobis rituum dissimilitudinem ob-
ijciunt qui humana autoritate Episcoporum vel etiam Synodorum
introduoti sunt, parum monemur, neq; enim hi sunt de essentia
unitatis Ecclesie, neq; ad eius constitutionem necessarij.

LXIX.

Hac enim necessitas libertati Christiana, ut supra quoq; di-
ctum est adversatur, & ad vitam spiritualem ne tantillum facit
cum fides et vita eterna in corde enā sine illis accendi possint. teste
Christo Luc. 17. v. 20. Regnum Dei non venit μετὰ παρασκευ-
ων, Et Paulo Rom. 14, v. 17. Regnum Dei non est esca & po-
us, sed iustitia & pax & gaudium per Spiritum sanctum.

LXX.

Quare Irenaei Episcopi Lugdunensis in Gallia παρρησιασ-
probamus, qui Victorem Episcopum Romanum reprehendit, quod
Ecclesias Asiaticas seu orientales, quod non eodem tempore cum
Romana Ecclesia diem Paschatos celebrarent, excommunicare au-
sus fuit, ut refert Eusebius lib. 5. cap. 26.

LXXI.

Probamus etiam eiusdem Irenaei breve sed celebratissimum
dictum, idq; omnibus humanarum traditionum generibus rectissi-
mè opponi censemus: ἢ διαφωνία τῆς υἱσείας, πλὴν ἀπόνοια τῆς πίστε-
ως σωτήρια. Hoc est, dissonantia ieiunij non tollit sed commendat
concordiam fidei.

Articu.

Articulus. VI.

Ad quem Respondebit M. VVOLFFGANGVS
FRANZIVS PLAVENSIS.

LXXII.

Veniamus etiam ad VI. articulum, in quo queritur: An credant Catholicam Ecclesiam esse apud hos, qui nunc ad versantur Romane Ecclesie & Episcopis qui presunt ordinaria successione: an vero apud illos Christianos, qui nominantur Catholici & retinent unitatem Ecclesie, obediens vni Romano Pontifici.

LXXIII.

Positis & concessis ijs, que antea & iam modo dicta sunt, responsio est facilis, sed vt ea fiat magis perspicua, duas illius partes facimus.

LXXIII.

Priorem affirmamus, posteriorem vero negamus.

LXXV.

Primo disertè fatemur, Deumq; huius assertionis & testem & iudicem facimus, Eos qui nostrarum Ecclesiarum confessionem amplexi sunt, verissimè esse membra Catholica Ecclesie Dei, & hoc tempore veram Dei Ecclesiam: iuxta illud Iohan. 10. v. 27. Oves mee vocem meam audiunt.

LXXVI.

Nec dubitamus quin in his ipsis cœtibus, qui inter nos in nomine filij Dei congregantur, & in quibus vox Evangelij sonat integra, & incorrupta, & sacramenta iuxta institutionem administrantur, & ministerio debita obedientia prestatatur, sint verè electi multi, placentes DEO & dilecti DEO in Filio Ephes. 1. v. 6. rectè agnoscentes & invocantes eum, & qui sint heredes vite eterne. Quos enim elegit, hos & vocavit, Rom. 8. v. 30.

LXXVII.

Et multorum confessio in supplicijs, ostendit presentiam Spiritus sancti, tanta ipsos fortitudine & robore fidei induentis, eosq; in impijs illecebris & terribilibus mundi vincendis, confirmantis, vt acerbissimo & exquisitissimo suppliciorum genere. mil-

C. 2.

lies

lies mori maluit, quam fidem Christi abnegare, cum sciat se moriendo non interire, sed immortales per resurrectionem fieri, ut præclare dixit Athanasius in lib. de invocatione verbi.

LXXVIII

Nec vero ideo nostra Ecclesia non sunt membra Catholica Ecclesia Dei, quia in aliquibus est infirmitas & ignorantia multiplex, dum modo non sit affectata: sed illi retineant fundamentum, sint dociles, veritatem querant & audiant, nec ipsam agnitam oppugnent.

LXXIX.

Semper enim in hac vita, in qua nulla est perfectio speranda, fuerunt, sunt & erunt in Ecclesia infirmi, & alij alijs plus lucis spiritualis habuerunt: quemadmodum constat in Apostolis & omnibus Sanctis magnam & infirmitatem & ignorantiam de regno Messie & cultibus Leviticis fuisse, ac propterea à Christo ἀδύνατοι, esse sæpe nominatos.

LXXX.

Quod si vera esse Ecclesia non posset, eò quòd in illa multi sint infirmi, quemadmodum olim Cathari & hodie Anabaptistæ eiusmodi Ecclesia politiam imaginantur, in qua nihil desideretur, Apostolus ceriè infirmam fidem non assumi, sed ex Ecclesia ejus iussisset. Rom. 14. v. 1, nec ipse Christus tanta patientia Apostolos tolerasset.

LXXXI.

Tantum etiam abest ut propter dissidia, (quæ levissimorum quorundam ingeniorum petulantia & ambitione, & instinctu diaboli, omnium blasphemiarum, heresium & confusionum autoris inter nostrarum Ecclesiarum doctores exarserunt, & à Pontificijs odiosè nobis obijciuntur) apud nos non esse Ecclesiam DEI ipsis concedamus, ut veram Ecclesiam vix posse esse existimemus, si nihil in ea dissidiorum sit vel fuerit unquam.

LXXXII.

Nam in agro, semine bono confito nasci zizania. Matth. 13.

v. 12. & necesse esse ut eveniant scandala, Matth. 18. v. 7 & oportere hereses esse in Ecclesia, ut qui probati sunt, manifesti fiant, ex Christo & Paulo, didicimus.

LXXXIII.

Retinendum itaq; esse statuimus discrimen, quod tradit Paulus 1. Cor. 3. v. 12. inquit: alium super aedificare super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam.

LXXXIII.

Quod verò ad alteram questionis proposita partem attinet distinctione nobis utendum esse videmus. Sicut enim non omnes qui se catholicos vocant, & Pontificis Romani, Episcoporumq; iurisdictionem agnoscunt, ex Ecclesia catholica excludimus, neq; damnamus: ita nec omnes indifferenter ad eius societatem admitti, eiusq; vera membra esse posse, indicamus.

LXXXV.

Quare duos catholicorum gradus constituimus. Alij enim, quorum Deus venter est, & qui sub religionis catholicae praetextu, opum honorumq; suorum augmenta quaerunt, suorumq; ipsorum iudicio condemnantur, sunt manifesti defensores idolorum, & errorum pugnantium cum mandatis divinis & articulis fidei, praesertim veritate iam patefacta, quam scienter repudiant & oppugnant, multoq; innocentium cruore sese polluant.

LXXXVI.

Apud hos, etiamsi Ecclesia catholica titulum augustissimum sibi arrogans, & unitatem Ecclesiae se servare gloriantur, unius se: Pontificis decreta impia tanquam oracula caelestia suspicientes, non esse catholicam Ecclesiam, saepissime iam dictum est, & nunc quoq; dicimus.

LXXXVII.

Alij verò, etsi ante lucem Evangelij accensam, in ipsorum oculis vixerunt, & communium errorum contagia circumtulerrunt: tamen de fundamento melius, quam pleriq; alij senserunt & crassiores errores taxaverunt.

Hos

LXXXVIII.

Hos non negamus esse membra Catholicae Ecclesiae, dum modo ignorantia agnita ad misericordiam, per & propter Filium Mediatorem promissam, confugerint, suaq; peccata, non sanctorum, sed Christi meritis tegi crediderint, Deumq; verum hac fide invocaverint.

LXXXIX.

Idem etiam de multis infirmis iudicamus, qui vel nunc sub impijs Pontificibus & Episcopis Evangelio adversantibus, vivere coguntur, atq; aliquam verae doctrinae scintillam retinent, & sunt dociles, & ab idololatria & parricidijs Pontificij agminis abhorrent.

XC.

De quocunq; .n. in quo aliquid saltem Christi est, bene sperare nos iubet Christiana dilectio, ac temerarium esse statuimus aliquem ex ijs praecipiti quodam iudicio praegravari, cum certum sit, Deum non omnes uno eodemq; modo & tempore ad regni sui societatem vocare.


XCI.


Eos tamen hortamur, ut exorta luce Evangelij doctrinam divinitus patefactam diligenter cognoscant & discant, suamq; infirmitatem vincant, nec suo exemplo Idolorum cultus & errores stabiliant, iuxta illud, 1. Cor. 10. Fugite idola.

XCII.

Laetitent igitur dignitatem & successionem suam in Ecclesia, quantum volunt, adversarij, nos utraq; consolatione constantissime confirmamur, & quod necesse sit agnita veritati obtemperare, (blasphemia enim non remittitur) & quod iam patefactio errorum ostendat discrimen inter membra verae Ecclesiae & blasphemos, quos certum est non esse de Ecclesia, etiamsi in Ecclesia sint, & in ea dominantur.

FINIS.





99 A 6911


ULB Halle 3
003 139 565




52 1017

[Faint handwritten notes]







32
42

Propositiones Theologicæ
R E P E T E N T E S
ET CONFIRMANTES ORTHO-
doxam doctrinam responsionum, quæ à D. PHI-
LIPPO MELANTHONE scriptæ sunt ad IIII. V.
& VI. Articulum Bavaricæ inquisitionis, de *Hanc responsionem Phil.*
quibus in celeberrima Academia *vide in Corpore doctrinae Philippo*
VVitebergensi *Fol. 893.*

P R A E S I D E

Henrico Maio Sangerhusano D.

PRO LICENTIA ACCIPIENDI
Gradum Doctorum in Theologia publica disputatione, hora
& loco consuetis, die XXII. Ianuarij.

R E S P O N D E B V N T

M. Petrus Strenberus Soldinus, Ecclesia Sora-
na Pastor.

M. Paulus Auleander Nissenus.

M. Wolfgangus Franzius Plauensis.



V V I T E B E R G Æ

Matthæus Uelack excudebat.

M. D. XCI.

